DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# PALLORE VIRGINVM VENEREM INDICANTE

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS INDVLTV

## PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. X. MAII, A. S. R. CIↃIↃCCLIX.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE

EXHIBVIT

IOANNES CASPARVS KORTE
RATINGA-MONTANVS.

HALAE MAGDEBVRG. EX OFFICINA HENDELIANA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# PALLORE VIRGINVM VENEREM INDICANTE.

## PROOEMIVM.

Dum de pallore virginum, Venerem indicante, in praeſentia commentationem academicam meditor, in mentem veniunt nonnulla haud illepide dicta a CELSO, terſiſſimo ſcriptore, & magno inter Romanos Medico: *Sermonis*, inquiente *), *pudorem & artis praecepta ſeruare ſimul, difficile non modo eſt, ſed et-*



*) *Libr. VI. de re medica*, Cap. XVIII.

*iam impoſſibile.* Atqui haec eadem mihi quoque nunc accidere videntur, quum argumenti mei ratio, vt muliebria paſſim diſceptem, omnino requirat. Interim non vna fuit cauſſa, cur ad hanc materiem, ſpecimini inaugurali exhibendo prae aliis ſelectam, adpulerim animum. Primo enim ſaepenumero mecum tacite reputaui, vnde fuerit factum, vt iam ab antiquiſſimis temporibus, ad noſtram vsque aetatem, pallentes virgines mulierculaeque voluntati venereae obſequentiſſimae deditiſſimaeque ſint aeſtimatae; quo animo etiam alicubi in *Amoribus* ceciniſſe videtur OVIDIVS, optimus harum rerum arbiter:

*Palleat omnis amans, is enim color aptus amanti eſt.*

Quo etiam LINDANI pertinet iudicium, qui, teſte SCHAARSCHMIDIO **): *Feminae,* ait, *eiusmodi pallentes non ſemper malum hoc experiuntur ex menſium ſuppreſſione, ſed volunt cohabitare viro.* Huc collineat quoque vetus illud prouerbium: *Qui pallet,*

**) In *Mediciniſchen und chirurgiſchen Iahrgaengen, II. Iahrg.* pag. 58.

*let, aut amat, aut ſtudet, aut aegrotat.* Deinde vero idem hoc argumentum, quod abſoluendum in praeſentia ſumſi, in ipſo artis ſalutaris exercitio haud infructuoſum fore duxi, quia, hac re recte curateque expenſa, facile conſtare poteſt, vtrum huiusmodi pallore laborantibus feminis licita & temperata Venus ſaluti ſit futura, nec ne? Quae quoniam, ſi recte memini, aliorum commentationibus non ſunt ſatis pertractata atque euoluta ***), facillime mihi perſuaſi, Diſſertatiunculam hanc meam neque nouitatis gratia, neque beneuolorum lectorum adſenſu eſſe carituram. Ceterum ſummum Numen enixis precor votis, velit & hos qualescunque conatus in aliorum, praeſertim aegrotantium virginum, dirigere ſalutem, quo magna haec alterius humani generis pars inſigne exinde capeſſat lenimen atque alleuamentum.

***) Vnica tantum hac de materie mihi innotuit Diſſertatio *Ioannis Armandi de* MAUVILLAIN, qua, *an pallidis virginum coloribus Venus?* ventilata eſt quaeſtio *Pariſiis*, MDCLVIII; quam vero oculis vſurpare nunquam potui.

§. I.

Hac ergo diatribe *pallorem virginum*, tanquam *Veneris indicans*, quod Medici vulgo dicunt, accurate conſideraturus, maxime propoſiti mei intereſſe video, ante, quam ad ipſius inſtituti argumenti pertractationem mea ſe conuertat oratio, ea, quae lucubratiunculas huiusmodi academicas decet, breuitate expedire, *primo* cuius generis pallorem hic velim intelligendum, & *dein* quas quotuplicesque cauſſas eidem in virginum corporibus, anſeris medullula plerumque mollioribus, ſtatuam. His enim, quoad noſtra referet, ſatis expoſitis atque definitis, mutationes *porro* exponam, quas ab iisdem, quae pallorem induxerant, cauſſis virgineus patitur vterus & omne, quod ſupereſt, genitale earundem aruum. Ex iis *denique* ſingulis collectis & inter ſe conſiderate collatis phaenomenis, & cum his ſimul comparatis tempeſtiuae Veneris effectibus, pro virili parte demonſtrare annitar, in medicando virginum pallore, ſi quidem ceterae res circumſtantes conſpirauerint, nullum certius potentiusque eſſe remedium, quam vt legitimam, moderatam, tempeſtiuamque

*Sentiat ex imis Venerem reſoluta medullis*
*Femina; & ex aequo res iuuet illa duos a).*

§. II.

Primo igitur vt accuratam *palloris virginum* notio·

a) OVIDIVS in *Artis amatoriae* Libr. III. v. 793. ſq.

notionem cum lectoribus communicem, attendi ante omnia volo ad duplex illius genus, *naturale* aliud, aliud *morboſum.* *Prius* illud impraeſentiarum ad propoſitum non pertinet meum, quum a definita fluidarum partium mixtione atque copia, ſolidorum, per quae humores mouentur, viribus proportionata, dependeat, adeoque fixis naturae legibus conueniat; quem naturalem mutuum ſolidorum fluidorumque conſenſum alioqui *temperamentum* in Medicorum ſcholis appellant. Atqui ſi, huius naturalis conditionis intuitu, pallorem in virginibus ſpectes, phlegmatica temperies ſibi merito pallidas eiusmodi puellas vindicabit. Quem enim, quaeſo, alium colorem requires in corpore, cui natura ſolidas partes laxas atque teneras, humores vero ſpiſſos dedit atque lenteſcentes, eosdemque ſimul maxime copioſos? Hinc enim enaſcuntur etiam vaſa phlegmaticorum corporum parua atque exilia, pulſus tardus, mollis, & debilis, rubicunda ſanguinis portio, quem *cruorem* vocant, parca, neque ſatis elaborata, circulatio admodum lenta, ſeroſi denique humores ſpiſſiores, lenteſcentes, & in cellulofae tunicae cauernis copioſius haerentes *b*); quae ſingula foecundae phlegmatici palloris ſunt matres. Verum enim vero tantum abeſt, vt naturalis

*b*) Confer de his v. c. *Illuſtris & Magnifici* BÜCHNERI *Diſſertationem de Temperamentorum ratione in Semioticis habenda*, Halae, MDCCLII. ventilatam, §. XIV. & XV; itemque *Excellentiſſimi* LVDWIGII *Inſtitutiones Phyſiologiae*, §. 636. & 642.

ralis eiusmodi pallor, nunquam ſine coniuncto animi corporisque torpore animaduertendus, Veneri ſit amicus atque ſatis idoneus, vt potius, quod innumeris quotidianae experientiae teſtimoniis conſtat, huius temperamenti puellis acclamanda merito ſint *Ouidiana* illa *c*):

*Tu quoque, cui Veneris ſenſum natura negauit,*
*Dulcia mendaci gaudia finge ſono.*
*Infelix, cui torpet hebes locus ille, puella es,*
*Quo pariter debent femina virque frui.*

Longe aliter vero morboſum virginum pallorem plerumque aeſtimari oportet.

## §. III.

Quippe alterum illud & poſterius, quod ante conſtituimus (§. II.), palloris virginei genus, *morboſum* videlicet, ſingulare atque ſubſeciuum *Cachexiae* genus eſt, iunioribus & pubertatis annos ingredientibus virginibus ſollemne & velut proprium; quod diuerſis etiam aliis cognominibus, a variorum concurrentium ſymptomatum indole deductis, Medici inſignire ſolent. Omnium vulgatiſſimum communiſſimumque nomen e graeco detortum eſt, & *Chloroſis* audit *d*). Alias quoque, ſui generis ſeruans nomen, *Cachexia virginum* appellatur.

*c*) *Libr. & loco citat.*

*d*) Deducitur enim a χλωρὸς, viridis, viridi gramini ſimilis; quod pallor hic morboſus virginum in viridem vergit colorem. Vnde etiam HIPPOCRATI χλώρασμα pallorem ſubuiridem ſignificat.

tur. Neque adeo rarum *febris albae*, itemque *febris amatoriae* eſt cognomentum, illud a colore, hoc vero ex eo deductum argumento, quod in praeſenti commentatione luculentius trademus. Aliqui Medicorum, adfines icteri cum praeſenti morbo cauſſas intuiti, huic *icteri albi virginei* nomen indiderunt *e*). Noſtrates denique, Graecorum Latinorumque nominum ſignificationibus inhaerentes, hunc morbum *die Bleichſucht*, *das Liebesfieber*, *das weiſſe Fieber*, itemque prouinciali, quod dicitur, nomine *den Pips* ſiue *Pfipf f*) appellant.

## §. IV.

Atque huius morboſi, qui virgines inficit, palloris (§. III.) plurima eaque varia, ex quibus dignoſci poteſt, ſigna animaduertuntur. Quippe color vniuerſi corporis, praecipue vero faciei, antea floridus viuidusque, paullatim in pallidum, albicantemque abit; mox, pro vario huius mali incremento, vireſcens, liuidus, flaueſcens, luridus, immo plumbeus euaſurus. Corpus ſenſim fit ſubtumidum, molle, laxum, atque flaccidum, foueasque a digitis impreſſas diutius ſeruans. Inter haec accedit magna totius corporis laſſitudo, indies increſcens,



*e*) Videſis, v. c. DOLAEVM in *Encyclopaedia medica*, Libr. V. Cap. IX. pag. 354. Part. II. Edit. Francofurt. 1691.

*f*) *Pipſig* ſiue *Pfipſig* proprie pituitoſum ſignificat; vti expoſite tradit *Ioannes Leonhardus* FRISCHIVS im *Teutſch-Lateiniſchen Woerterbuch*, pag. 53. Tom. II. Edit. Berolinenſ. 1741. inde ad virgines huiusmodi pituitoſas traducta videtur ſignificatio.

ſcens, officiisque conſuetis ſuſtinendis atque perfi- ciendis, ob ſummum torporem, impar. Deambu- latio eſt tarda atque moleſta, cum ipſa crurum va- cillatione ſaepius coniuncta: ſub qua etiam, prae- ſertim ſi verſus accliuia aut per ſcalas fiat adſcen- ſus, reſpiratio difficilis atque anxia euadit. Con- iunguntur porro plerumque inflationes & tumores pedum oedematoſi, noctu ſub decubitu & a lecti calore diſparentes, interdum vero, praecipue ſi ere- ctae diutius ſteterint, denuo increſcentes. Vrina emittitur pauca, primo aquea & limpida, dein ve- ro magis tincta, ſemper tamen pallido aut ſubliui- do colore conſpicua, neque raro turbulenta. Nec ordinata ſatis atque recta reliquarum excretionum eſt ratio, & tranſpiratio inprimis atque aluina ex- cretio maxime languidae ſunt imminutaeque. Ipſa denium ſanguinis circulatio lenta animaduer- titur atque inaequalis: hinc frequentiores, quae intercurrere ſolent, phlogoſes; hinc arteriarum pulſus languidus, debilis, & haud raro intermittens atque inaequalis; hinc ipſe ſanguis, ſicubi per arti- ficiales haemorrhagias in conſpectum venerit, pal- lidus apparet & multo ſero refertus. Senſuum denique ſuperuenit hebetudo & ἀταξία, ſomnolen- tia frequens, vertigo, animique inquietudines, & admodum irritabilis natura, in tacitos adfectus ma- xime prona. Ciborum tandem adpetitus eſt va- gus, inconſtans, & quodammodo proſtratus, ita vt ab alimentorum adſumtione aut repentina obſerue- tur oblaturatio, aut faſtidium perfectum atque ab-

ſolu-

ſolutum: vnde protinus ventriculi inteſtinorumque ſuccedunt diſtenſiones atque inflationes, duritiei, preſſionis, conſtrictionisue ſenſationem in hypochondrio dextro, ſaepius quoque ſiniſtro, itemque interdum ſub vmbilico producentes g).

§. V.

At enim vero tot, tantorumque malorum (§. IV.) porro euoluendae ſunt cauſae. E quibus *remotiores* atque *antecedentes cauſſas* primo exponemus, quoniam earundem cognitio dein proximae huius palloris cauſſae inueſtigandae atque expediendae eximie eſt inſeruitura. Atqui omnium, quae morboſum hunc pallorem inducunt, cauſſarum ſine dubio efficaciſſima atque frequentiſſima eſt menſium aut retardata perruptio, aut repentina ſuppreſſio, aut inordinatum ſaltem imminutumque profluuium, ſiue in virginibus accidat puberibus, viroque maturis & tempeſtiuis, ſiue in iunioribus viduis, quae, mortuo mox a nuptiis marito, vix a primo limine Veneris cognouerunt gaudia, & nunc, inſtar *Penelopae Ouidianae h*), frigidae deſerto iacent lecto, tardosque ire dies relictae queruntur. Quae ne temere dicisque gratia adfirmaſſe videar, nonnullos tantummodo, eosque locupletiſſimos, citare

 liceat

g) Conferri quoque de his ſignis merentur *Magnifici & Illuſtris* BÜCHNERI *Fundamenta Pathologiae ſpecialis*, Sect. VII. Cap. XIII. §. II. & *Gottwald* SCHVSTERS *Methode die Kranckheiten des menſchlichen Leibes zu heilen*, Libr. VI. Cap. III. §. I. in fine.

h) OVIDIVS in *Epiſtolis Heroidum*, Epiſt. I. v. 5. ſq.

liceat teſtes, *Ioannem* nempe DOLAEVM, *Fridericum* HOFFMANNVM, & venerabilem ordinis medici in hac academia Seniorem, *Ioannem* IVNCKERVM, ſingulos illuſtres celebratiſſimaeque famae viros. Quippe prior horum: *Chloroſis*, inquit *i*), - - *febris alba*, - - *febris virginea*, *pallidi virginum colores*, - - *icterus albus* - - *eſt adfectus virginibus ac viduis*, *vel iis*, *quibus a marito non ſatisfit*, *ſollemnis*. Alter vero, incomparabilis nempe HOFFMANNVS, diſerte prodit: *Hic ipſe*, inquiens *k*), *in genere cachexiae nomine notatus morbus*, *in virginibus*, *quae nondum menſes expertae ſunt*, *aut ſi inordinati & parciores fluunt*, *Chloroſis appellatur*. Quibuscum denique conſentit poſtremo loco excitatus vir illuſtris, *Ioannes* IVNCKERVS, planiſſime ſcribens *l*): *Longe frequentius illae feminae cachexiam incurrunt*, *quae defectu menſium*, *quam quae exceſſu illorum laborant*, *& talis adfectus Chloroſis virginum appellatur*, *quia illis prae maritatis proprius eſt*. Vt complura alia huiusmodi teſtimonia non attingamus.

§. VI.

Proinde quoque omnia, quae virginibus catamenia perturbant, aut tempeſtiuam eorundem perruptionem retardare poſſunt, permultum ad pallorem hunc, quem noſtra diſceptat Diſputatio, efficaciſſime

*i*) In *Libr. & Cap. citat.*

*k*) In *Pathologiae ſpecialis Sect. VII. Cap. XIII. §. III.* p. 601. *Edit. cit.*

*l*) In *Therapiae ſpecialis Tab. LXXXVII.* pag. 700.

ciſſime inferendum valebunt. Atque haec ſine multis ampliſſimarum demonſtrationum ambagibus carptim ſigillatimque referemus, ne iuſtae eiusmodi commentationis breuitati officiamus; quum vniuerſa ceteroqui quorumlibet accuratiorum Pathologorum cohors in iisdem demonſtrandis abunde ſatis ſtudii poſuerit operaeque. Horum ergo laboribus vſi, *procatarcticis* morboſi huius palloris *cauſſis*, praeter iam recenſitam (§. V.), adnumeramus porro, ex *naturalium*, quas Medici vocare ſolent, *rerum* claſſe, temperamentum phlegmaticum aut phlegmatico-ſanguineum, aetatem iuniorem, & mutationibus, quas pubertas corpori inducit, obnoxiam, ſexum ipſum femininum, & ante omnia ſingulis his corporis conditionibus coniunctam naturalem fibrarum ſolidarum debilitatem, huicque familiarem & velut propriam minus perfectam elementorum in fluidis mixtionem proportionemque.

## §. VII.

Ad haec vero ex *non-naturalium rerum*, vt vulgo dicuntur, ordine accedunt primo, intuitu *aëris*, conditio eiusdem humida, vappida, atque frigida, quo verbi cauſſa pertinent habitationes in locis paludoſis aut in conclauibus depreſſioribus atque humidis; commorationes frequentiores in aëre veſpertino, praeſertim verno & auctumnali, & reliquae cuiusuis generis refrigerationes diuturnae. Huc etiam ſpectat incongrua *veſtimentorum* ratio, tam nimis laxa atque aëris iniuriae arcendae parum idonea,

quam nimium arcta & adſtricta; quo exemplo citari poſſunt thoraces, quorum vſu puellae ſaepenumero curant, vt abdominalia viſcera violentiſſime comprimantur, ipſae vero ex ſatis obeſis paene iunceae euadant, adeoque triſte valetudinis peruerſae labefactataeque faciant experimentum *m*). Porro, ſi ad *victum* attendas, inter has tam deprauati coloris cauſſas referre te oportet intempeſtiuum aut immoderatum bellariorum, ciborumue flatulentorum, viſcidorum, acidorum, aliorumque difficilis diſſolutionis auſteraeque naturae vſum, inprimis praeſente aut ſaltem inſtante menſtrua purgatione. Quale vero illis puellis temerariis ſtatuemus pretium, quae ſtudio, vt elegantem egregiumque hunc, ſi diis placet, colorem ſibimet concilient, varia ad victum plane inepta, verbi cauſſa, terrea ſicca, bibula, abſorbentia, & adſtringentia, cretam, calcem a parietibus deraſam, terras bolares atque ſigillatas, & id genus alia auidiſſime copioſiſſimeque deuorant, & multa demum arte magnoque labore ſanum corpus in imbecille permutant. Alia harum antecedentium cauſſarum, in quam etiam eaedem puellae per errorem plerumque incidere ſolent, eſt admodum parca potulentorum adſumtio, reſtituendis fluidis, per excretiones abſumtis, minus ſufficiens atque proportionata. Maximi porro

*m*) Noxios huiusmodi veſtitus effectus elegantiſſime expoſuit celeberrimus *Ioann. Zacharias* PLATNER, in *Diſſert. de Thoracibus;* quae etiam *eiusdem Opuſcul.* coniunctim Lipſiae editis, eſt inſerta.

ro inter res non-naturales momenti eſt recta *motus quietis*ue, itemque *ſomni vigiliae*ue conditio; e quibus itidem otioſa vita, frequens a conuenientibus laboribus exercitationibusque abſtinentia, nimius motuum corporis voluntariorum neglectus, & ſomnus in dimidium fere diem ſaepius protractus, ſumma huiusmodi pallorem inferendi pollent efficacitate. Hinc virgines ſellulariae, textrices, ſartrices, moroſae, ſanctitatis pietatisque eminentioris ſimulatrices (*Betſchweſtern*), & quae ſunt huius commatis aliae, rarius viuido naturali imbutae, ſed hoc ipſo plerumque pallore infectae defoedataeque conſpiciuntur. *Animi* denique *pathemata*, inprimis grauis terror, moeror diuturnus, iracundia ſuppreſſa, reliquique animi motus vehementiores ideo, quod naturales ſe- & excretiones maxime turbant peruertuntque, frequentiores quoque pallidorum in virginibus colorum fiunt cauſſae.

## §. VIII.

Tandem quoque vulgo ſic dictae *res praeternaturales*, ipſi nimirum *morbi*, &, quae iisdem medicandis ſaepius incongrue intempeſtiueque proponuntur, *medicamenta* varia, pallentes efficere poſſunt ſolentque virgines. Quo nomine praecipue excitari merentur omnes ſingulique adfectus, qui viſcera abdominalia, ad venam portae aeque, ac cauam attinentia *n*), adfligunt, aut digeſtionis chyli.

*n*) His morbis explanandis, ipſorumque efficaciae in producendis

chylificationisque negotium peruertunt; verbi cauſſa, febres intermittentes, motus hyſterici, ceterique ſpasmodici arthriticique dolores, haemorrhagiae variae diuturnae & profuſae, immo ipſa exanthemata varia fixioris ingenii, ſcabies, vari, gutta roſacea, & cetera id genus mala: quae omnia eo certiores huiusmodi cachectici palloris in virginibus euadunt cauſſae, ſi non ſolum diu perſtiterint, ſed inſuper, temeraria plane & imprudenti methodo, ſiſtentibus, adſtringentibus, anodynis, narcoticisque remediis fuerint attentata, corrupta, aut ad interiores nobilioresque partes retropulſa. Eidem denique claſſi adſcribi quoque oportet conſuetas ſanguinis, per venaeſectionem, ſcarificationem, hirudinesque, euacuationes, ſi diutius fuerint neglectae atque intermiſſae.

## §. IX.

Atqui ex his omnibus remotioribus, quas expoſuimus, cauſſis (§. VI–VIII.) pedetentim reſtagnatio oritur atque remora ſanguinis, per viſcera, praeſertim abdominalia, transeuntis: vnde non ſolum neceſſaria lymphae ad chylum, &, hoc parario, ad ſanguinem in meſaraicis glandulis ductuque chylifero adfuſio admodum retardatur atque impeditur, ſed ipſi quoque ſanguini, his rationibus male diluto & reparato, inſignis ſpiſſitudo & mucidus pituitoſusque

cendis cachecticis palloribus demonſtrandae, eximie inſeruiunt eruditiſſime conſcriptae *Diſſertationes Georgii Erneſti* STAHLII, *de Vena portae, porta malorum*, & *Henrici Friderici* DELII *de Vena caua, plena malorum.*

ſusque inducitur lentor. Verum enim vero tantum abeſt, vt hoc ſub ſtatu canales fluida vehentes ſe recte habeant, vt potius ſenſim hinc magis magisque vaſcula colatoria, cum vniuerſi corporis, tum potiſſimum per hepar meſenteriumque diſperſa, ſpiſſis humoribus infarciantur atque obſtruantur, adeo vniuerſae ſanguineae lymphaticaeque maſſae, in peruerſam cacochymicamque naturam abeunti, anſam praebitura.

§. X.

Prouti vero ſanguinis lymphaeque mixtio naturali ſtatui propior conuenientiorque, aut inconuenientior eſt, ita & ipſa omnium, qui ſuperſunt, humorum, ante omnes vero ſicci nutritii & longe tenuiſſimi, quod humanum complectitur corpus, fluidi neruei conditio integra eſt atque intaminata, aut maligna atque corrupta; quemadmodum euidentibus rationibus luculentaque demonſtratione Phyſiologi euincunt *o*). Ergo ſpiſſi iſti lentique, quos praedictae procatarcticae effecerant cauſae (§. IX.), humores, inſuperque paſſim in praecipuis circulatorii motus organis ab infarctibus & obſtructionibus retenti atque retardati (§. *cit.*), neque ſufficienti, laudabili, & aequali nutritioni producendae erunt pares, neque iuſtam fluidi iſtius vitalis, quod neruos irrigat perfluitque, in cerebri maeandris ſecretionem permittent, nedum ordinatum & aequabilem

C

o) Videſis, e. g. celeberrimi *Chriſtiani Gottlieb* LVDWIGII *Inſtitutiones Phyſiologiae*, Part. I. Cap. VI. §. 314. & ſeq.

bilem ipſius in vniuerſum neruorum ſyſtema influxum efficient. Vnde per principia phyſiologica, quae omnium fibrarum in animali corpore motricium, omnium muſculorum, omnium vaſorum vniuerſam vim vitalem, robur omne, omnemque irritabilem naturam huic ipſi nerueo fluido, per fibrillas neruoſas minimas moto & influenti, vindicant *p*), apertiſſime ſequitur, vt laeſo, retardato, aut ad hoc ſufflaminato paſſim vitalis huius laticis motu, vniuerſae fibrae motrices, quippe omnium mechanicarum corporis humani actionum, omnium ſe- & excretionum, omniumque, qui quomodocunque in humana fabrica eueniunt, motuum inſtigatrices atque rectrices, debiles ſint euaſurae & imbecilles. Atqui hoc ipſum ſolidarum partium in virgineo corpore robur infractum atque labefactatum tanquam *proximam* & *continentem*, vt veteres loqui ſolebant Medici, illius, quem in praeſentia commentamur, palloris virginei *cauſſam* conſtituimus aeſtimamusque.

§. XI.

At enim vero circa hanc motricium organorum debilitatem ſingulariter adhuc quaedam ſectari

p) Inſtar omnium, qui haec demonſtrarunt, eſt Illuſtris *Albertus de* HALLER, in plurimis, quae ipſo auctore proſtant, ſcriptis, ſpeciatim vero in *Diſſertatione de Neruorum imperio in arterias*, & ſingulis *Commentationibus de irritabilitate*, quae *Societatis ſcientiarum Goettingenſis commentariis* ſunt inſertae; vt aliorum huc pertinentia ſcripta omittam.

ri nos oportet, quae primo per experientiam cognita atque animaduerſa, rationis dein ope amplius definita ſunt atque demonſtrata. Nempe vbicunque partium in corpore humano ſanguis aut alius humor, ad excretoria organa deferendus, iuſto diutius retinetur, ſpiſſeſcit, & lentum difficilemque acquirit motum, hacque ratione vaſa obſtruit & infarcit, ibidem quoque potiſſimum & velut eminenter fluidi neruei per easdem ipſas partes motus laeditur, retardatur, intercipiturue. His autem de cauſſis in iisdem ſingularibus partibus oriuntur, vt ante expoſuimus (§. X.), vaſorum ibidem diſperſorum atoniae & imbecillitates, ob inductum inde inaequalem liquorum vitalium influxum tranſitumque variis ſpasmorum dolorumque generibus ſtipatae. Proinde quum virginum, quem nunc deſcribimus, pallor a quomodocunque vitiata, imminuta, ſuppreſſaue catameniorum per vterina vaſa effuſione, tanquam ab efficaciſſima & principe cauſſa procatarctica (§. V.), ad quam ceterae omnes eiusdem ordinis ſpectant (§. VI–VIII.), oriatur, aperta inde conficitur conſecutione, vt hoc ſub virginum ſtatu vniuerſum fibrarum motricium, & compoſitorum ex iisdem vaſorum neruorumque in vtero genus, prae reliquis partibus, maxime naturale ſuum amittat robur, humoresque per hos canales tardiſſime moti, pituitoſi atque ſpiſſi, ad vicina quoque & communicantia contiguorum viſcerum, quibus cum vtero conſenſus intercedit, vaſa morboſum hunc lentorem, ſtagnationes, infarctusque facilli-

cillime certiſſimeque transferre poſſint, niſi tempeſtiue ſatis tam debilitatis vteri canalibus, immo, ſi vetus fuerit malum, ceteris omnibus vniuerſi corporis priſtina vis inſitusque naturalis elater reddatur, quam fluidis vitiatis congrua & laudabilis mixtio, nec fluiditati naturali aduerſa, denuo reſtituatur.

§. XII.

Quantum vero ad pallorem hunc vitioſum non modo tollendum, ſed ad ſalutem quoque virginum generatim tuendam interſit, ſi Medicus, feminina haec mala prudenter ſublaturus, in menſium fluxu integro & naturali ſeruando primariam poſuerit curam, tum demum perſpicue luculenterque intelligent lectores, quando vel in transcurſu tantum vteri feminini fabrica conſideretur. Princeps enim hoc muliebris corporis viſcus, vt nunc ex innumerabilibus vel ſummorum Anatomicorum demonſtrationibus inter omnes locupletiſſime conſtat, totum paene, quantumquantum eſt, vaſculoſum deprehenditur, iisdemque ipſis canalibus pariis, accedente neruorum innexorum complicatione, cum quibuslibet ceteris primariis viſceribus, praeſertim iis, quae abdomen in ſinu gerit ſuo, arctiſſime connectitur atque ſociatur.

§. XIII.

Magnus enim hic vaſorum deprehenditur apparatus, qui partim ab iliacis internis, ſiue hypogaſtricis, partim a ſpermaticis originem deducit. Prius illud genus, ſi arterias ſpectaueris, a trunco

vmbi-

vmbilicali, vel proxime ad eundem, vtrinque inſignem emittit ramum, multis dehinc propaginibus diſtinctum, flexuoſo itinere interiora vteri, veſicae vrinariae, rectique inteſtini perreptantem, innumerisque anaſtomoſibus tam inuicem cum propriis, quam cum ſpermaticis arterioſis ramis communicantem *q*). Comites his hypogaſtrico-vterinis arteriis datae ſunt venae, itidem ex internis iliacis deductae, ſimilique, vt arteriae, diſtributione muliebribus intertextae. Ex eodem quoque fonte aduehitur reduciturque ſanguis, ad externa mulierum genitalia profluens: quippe vaginae vterinae tractum ſequitur arteria haemorrhoidalis media, vt HALLERO vocatur *r*), arteriae pudendae communis, quae ipſa hypogaſtricam agnoſcit matrem, inſignis ramus; vnde ſurculos ſuos arterioſos ſimul accipiunt veſica vrinaria & inteſtinum rectum. Extimae vero muliebris arui partes, inprimis irritabile illud feminarum organon, clitoris, arteriae haemorrhoidali externae, ex eodem trunco exortae, arterioſos ſuos debent ductus. Eadem & venarum hic diſperſarum eſt ratio; e quibus ſingularis haemorrhoidalis externae & veſicalis venae plexus itidem clitoridem ſubit *s*). Alterius vero vaſorum generis, nimirum ſpermatici, arteriae, ſatis cognito

C 3 ortu,

*q*) Conferatur WINSLOW in *Expoſition anatom.* Tom. III. §. 615. ſeq. & de HALLER in *Primis lineis Phyſiologiae*, §. DCCCVIII. ſeq.

*r*) In *Libr. & loc. citat.*

*s*) *Iidem Auctores* in *Libr. citat.*

ortu, in plexum pampiniformem collectae, in duo denuo diſpeſcuntur plexus, quorum alter ouario ſuas arteriolas concedit, alter vero Fallopianis tubis ipſique vtero infinitis ſurculis illigatur; non neglecta tamen vbique arctiori per mutuas anaſtomoſes connexione. Quam ipſam viam, paullo tantum mutata prima origine, vt vel Anatomiae tironibus notum eſt, venae quaeque ſociae ſpermaticae ſequuntur *t*).

## §. XIV.

Neque vero minus inſignis neruorum eſt numerus (§. XII.), qui muliebre aruum vitali ſuo liquido perluunt, ipſique ſenſilem illam atque irritabilem naturam, quae in ipſo admodum conſpicua & eminens eſt, impertiuntur. Quandoquidem ex plexu meſenterico inferiori neruorum, qui intercoſtalibus magnis, multiplici variaque implicatione inter ſe inuicem coniunctis, originem ſuam debet, noui propagantur ramuli, circa arteriarum iliacarum ortum, vltimamque coli flexuram, qua in rectum declinat inteſtinum, deſcendentes; qui, commiſſis inuicem plurimis ſurculis, ſingularem conſtituunt plexum, WINSLOVIO, aliisque ad eius ſententiam differentibus *u*), hypogaſtricum, HALLERO vero

*t*) *Citati Auctores* in *loc. allegat.*

*u*) WINSLOW in *Expoſition Anatom. de la ſtructure de corps humain*, Tom. III. §. 419. & *Auguſt* SCHAARSCHMIDTS *Neurologiſche Tabellen*, pag. 56.

vero meſocolicum *x*) infimum cognominatum. Atque ex eo, tanquam ex primario fonte & origine, potiores deducuntur nerui, vterum cum reliquis, quae extrinſecus patent, muliebribus, itemque inteſtinum rectum veſicamque vrinariam adeuntes: licet non negandum ſit, ipſi huic plexui hoc in progreſſu varios neruorum, ex oſſe ſacro lumbisque accedentium, ſurculos committi atque complicari. Praeterea vero non abſonum videtur, vt ſumme probabilibus argumentis MAGNIFICVS & ILLVSTRIS Academiae huius hoc tempore PRORECTOR, *Andreas Elias* BÜCHNERVS alibi docuit *y*), nonnullas quoque octaui, ſiue vagi neruorum paris propagines, coeliaco plexui intertextas, tenuibus quibusdam, nec adhuc per Anatomicorum ſollertiam detectis, nerueis filamentis ad genitalia mulierum organa alligari.

§. XV.

Ex his igitur, quae modo (§. XIII. XIV.) de vaſorum neruorumque, feminina loca ſecreta perreptantium, diſtributionibus nexibusque diſputauimus, locupletiſſime conſtare poteſt, quanta conſenſio, quam exquiſita amicitia, quam arctum vinculum muliebribus his partibus cum vniuerſo reliquo feminarum corpore intercedat. Proinde etiam cuilibet,

*x*) HALLER in *Primis lineis Phyſiologiae*, §. DCCCVIIII. pag. 533. Edition. recentior.

*y*) In *Diſſertat. de mutua vteri cum ventriculo conſenſione*, §. XIX. & XX.

libet, paullo curatius animum ad haec attenturo, vel primo conſtabit intuitu, eas mutationes, quae virginibus ceteriſque feminis, viro aptis maturisque, dum Venus in hac parte feruet, ſuisque voluptatibus abunde, quod ſatis eſt, perfungitur, accidunt, in quibuslibet reliquis eiusdem corporis actionibus motibusque, varia ratione mutandis inuertendisque, magnarum fore virium magnaeque efficacitatis. Quae vt clarius intelligantur, attendi oportet ad omnia ſingulaque iſta phaenomena, quae Veneris exercitium & antecedunt, & comitantur, & ſubſequuntur.

## §. XVI.

Nimirum feminis eas partes, quibus ſexum ſuum produnt, omnes ſingulasque valde ſenſiles irritabilesque natura conſtruxit. Hinc ſiue per moralem amorem, imaginationis filium, ſiue per voluptatis cupiditatem, qualicunque interno externoue ſtimulo, irritabilibus his partibus admoto, verbi cauſſa, acri muco vaginali, affrictu, titillatione, inunctionibus ſpirituoſis & balſamicis, &c. auctam acuatamque incitata femina maſculi amplexibus inhiat, & tunc primo in vniuerſo corpore ſanguinis augeri accelerarique motum, & cordis atque arteriarum pulſationes fieri ſentit frequentiores; dein inter haec qualiacunque eiusdem corporis loca, neruorum conſortio praecipue conſpicua, inſigniter turgeſcere & exquiſitiori imbui ſenſatione incipiunt, ſurgunt nempe erectae mamillarum papillae,

ſurgit

ſurgit clitoris, micant nictitantque oculi, & magna muſculorum pars in temporarias & velut ſemiconuulſiuas contractiones inclinat. Tum, ſimulac demum ipſa viri fit admiſſio, clitoridis, nympharum, vaginaeque vterinae, partium, quaqua tanguntur, tenerrimae acutiſſimaeque ſenſationis, mutuo cum virilibus attritu ſenſim ſpaſtica contractio in omni vaginae ambitu excitatur. Vnde, intercepto ſanguinis per venas hic diſpoſitas, praeſertim venoſum haemorrhoidalium externarum plexum, refluxu, turgent omnia, penem maſculinum arctius conſtringunt & velut exſugunt, affrictumque adeo augent, & tandem, perducta hinc ad ſummum gradum voluptate, muſculoſa vi ſaepenumero, praeſertim in ſenſibilioribus ſalacioribusque feminis, lubricum mucoſumque expellunt liquorem. Quae dum fiunt, ſtatimque poſt, accedit obſcurus quidam, ſumme tamen voluptuoſus, mox horripilationis, mox phlogoſeos ſenſus, non ſine animi deliquii metu, & magna omnium neruorum temporaria reſolutione; donec palpitans cor, incitatiusque motae arteriae ſenſim ad priſtinam motus naturalis redierint naturam.

## §. XVII.

De conſilio, breuitatis neceſſariae cautus aeſtimator, in praeſenti taceo, quantae circumeunti per vterum ſanguini mutationes contingant, ſi feruens turgidusque vterus, felici foecundaque ſub Venere, calidum viri exceperit ſemen, & per tubas Fallo-

pianas, itidem turgidas, ad ouarium transtulerit, arcana prorſus & indemonſtrabili ratione futuri hominis primordia conſtituturus. Illud autem ſilentio praeteriri non oportet, quod virginalia, ſi quidem intactae fuerint ceruicis, nec dum viro cognita atque ſubdita, varias iſtas, quas ante (§. XV.) expoſuimus, humorum congeſtiones, neruorumque irritationes a primo proximisque concubitibus longe acutiores exquiſitioresque experiantur. Praeterquam enim quod inſignis illa ruga valuuloſa, cui famoſum hymenis eſt nomen, ſicubi, vt decet, praeſens eſt, in virginibus viri ingreſſum nonnihil remoratur, maioremque vim & impulſum requirit, donec ſenſim a tritu lacera facta euaneſcit, ipſa inſuper vaginalis anguſtia, cum rugis ſparſim interiectis, titillationem hanc veneream mirifice auget. Cui etiam inſeruit papillarum neruoſarum in virginali pudendo ſumma irritabilitas atque ſenſatio, quae in feminis, frequentius virilem congreſſum iam perpeſſis, partim ob plicarum vaginalium obliterationem, partim ob neruulorum occalleſcentem naturam, partim denique ob morales cauſſas, quae, vt quotidiana vileſcant, efficiunt, in dies magis magisque decreſcit.

§. XVIII.

Ex his itaque, quae hactenus (§. XVI. XVII.) oratione perſecuti ſumus, haud profecto obſcure apparebit, quales effectus a Venere tempeſtiua & matu-

matura exſpectare poſſint virgines tam generatim, quam ſpeciatim noſtro, quem deſcripſimus, pallore laborantes. Scilicet ad quadruplex inprimis genus hi redeunt effectus. Primo enim vegetior viuidiorque humorum motus in vniuerſo exinde excitatur corpore; dein totum neruorum genus ad efficaciores potentioresque contractiones vitales irritatur, nouusque hinc ipſi fluido nerueo imprimitur impulſus; tum ſingulariter in vtero humorum ſpiſſorum & lente progredientium ſtagnationes remoraeque diuturnae expediuntur, eorundemque per vaſa vterina tranſitus eximie adiuuatur; hinc denique ipſae ſe- & excretiones totius corporis feminini, praeſertim eae, quae in muliebribus locis contingunt, promouentur, eaque ipſa ratione laudabilior & aequabilior mixtio fluidis lentis & pituitoſis reparatur. Atque horum effectuum euentus non ſolum ſub foecundo accidit concubitu, ſed etiam ſub omni, licet fatuo & inerti, modo vtrisque Venus ſuum rite abſoluat opus, & praecipue, vti iam ſupra (§. I.), praeeunte *Ouidio*, praeſcripſimus;

*Sentiat ex imis Venerem reſoluta medullis*
*Femina.*

## §. XIX.

Ergo nunc & ordo, & totius inſtituti noſtri ſumma ratio nos in eo conſtituit (§. I.), vt poſtremo ex omnibus his phaenomenis atque effectibus, qui tam in virginum palloribus, quam in licita congrua-

que virginum, maritis ſuccumbentium, Venere, animaduertuntur, curioſe inter ſe collatis atque expenſis definiamus, ab eiusmodi pallore virgineo omnino Venerem indicari. Dum ergo virginum palloribus indicantis, quod Medici dicunt, notionem adiungimus, per principia therapeutica ſequitur, vt Veneris exercitium iisdem commendandum indicati vice perfungatur. In determinandis autem his notionibus facimus cum duobus ſummis viris, *Friderico* nempe HOFFMANNO, & *Magnifico* BÜCHNERO z), quem iam aliquoties honoris gratia appellauimus: qui vterque *indicans* illud vocat, cuius gratia Medicus mouetur, vt ſit de aegrotantis cuiuslibet valetudine vel corroboranda, vel reſtauranda, ſollicitus; ſiue hoc vnum ſit, ſiue varium, adeoque deſignat ipſum morbum eiusque fundamentum aetiologicum, ſeu cauſſam, contra quam agendum eſt; *indicati* vero notio in eo conſiſtit, quod ſit ipſum illud remedium aut conſilium, in quo Medicus ſubſiſtit, & de quo firmiter concludit, quod ſit aptiſſimum ad ſanitatem reſtituendam.

## §. XX.

Videamus ergo nunc, vtrum Veneris exercitium in eiusmodi pallentibus virginibus therapeuticis indicationibus ſatisfaciat, nec ne? Vetus eſt prouerbium, cauſſam tollere, eſſe morbum curare. Quod

z) Conferantur *Fundamenta Therapiae generalis Hoffmanniana*, Sect. I. Cap. I. §. XIV. & XVI.

Quod cum ſit veriſſimum, hic etiam omnino valebit. Proinde, quoniam ex ſuperiori diſputatione (§. X. XI.) iam conſtat, proximam huius morboſi virginum palloris cauſſam in debilitato partium ſolidarum, praecipue viſcerum vaſorumque abdominalium & vterinorum, robore eſſe ſitam; eodem reparato non ſolum peruerſa atque pituitoſa humorum mixtio emendabitur, verum etiam ſaluberrima menſium excretio iterum expedietur, atque in ordinem redigetur. Haec ergo intuentes, virgineae huiusmodi Chloroſi medicandae tres praecipuas neceſſariasque conſtituimus indicationes: primam, quae generatim labefactatum ſolidarum partium robur iterum reſtituere atque redintegrare Medicum iubet; alteram, quae ſpeciatim turbato, imminuto, ſuppreſſoue catameniorum fluxui proſpicit; & tertiam, quae lentam ſpiſſamque humorum naturam corrigit, & fluidam mobilemque reddendam curat.

§. XXI.

Atqui omnibus ſingulisque his indicationibus (§. XX.) a tempeſtiua iuſtaque Venere locupletiſſime ſatisfieri, ex ante dictis obſcurum nunc eſſe nequit lecturo. Dum enim omne, quam late per vniuerſum corpus patet, neruorum genus ad vegetiores contractiones vitales incitatur, ſimulque viuidior & efficacior humorum inducitur motus (§. XVIII.), primae indicationi ſatis proſpicitur; de-

in, quoniam ex eodem venereo opere humorum ſpiſſorum atque lenteſcentium ſtagnationes atque diuturnae in vtero remorae expediuntur, & ſecretiones atque excretiones, hic locorum inprimis contingentes, maxime adiuuantur (§. *cit.*), altera abſoluitur indicatio; ex quibus denique rationibus (§. *eod.*) tertiae quoque ſatis fit indicationi, praeſertim ſi conſideraueris, quanta potentia, quantaque vi quomodocunque irritatae neruorum illaqueationes implicationesque, arteriis, vti Anatomici Phyſiologique demonſtrant, circumiectae, in haec ipſa vaſa imperium exerceant ſuum, hisque modis ſanguificationem & reliquorum humorum praeparationem mirifice iuuent definiantque.

§. XXII.

Ex his (§. XX. XXI.) ergo prona euidensque foret concluſio, virginum pallori promiſcue opponendum eſſe Veneris vſum, niſi quaedam hic paſſim animaduerterentur res, contrariam ſententiam ſuadentes, quas vulgari nomine *contraindicantium* Medici deſignare ſolent. Atqui haec contraindicantia paucis expediri poſſunt. Quotiescunque enim in virginibus, male & turbate menſtruatis, vitioſus hic pallor eousque inualuit atque inueterauit, vt perfectus adſit ſtatus leucophlegmaticus atque cachecticus, viſcerumque ſcirrhi & exulcerationes ſuperuenerint, praeſertim in ipſius vteri latibulis, toties, niſi in alio remedio ſalu-

ſalutis ſpes appareat, conſultius eſt, de morte cogitare beata, quam de gaudiis nuptialibus. Si recentius autem fuerit malum, leuioresque tantum in canalibus vterinis aut ceteris proxime connexis ſtagnationes, primarumque viarum vitia haud admodum rebellia hunc morboſum induxerint pallorem, tunc profecto melioris eſt conſilii, ſi eiusmodi virgines ſaluti ſuae proſpicere velint, viro ſuccumbere valido & potenti, quam pallidae frigidaeque morti; ceteris tamen, quae Therapeutae abſolutius exponunt, e Diaetetice & Pharmacia deſumtis remediis minime neglectis.

## §. XXIII.

Ad quae (§. XXII.) accedit, quod magna potiorque cauſſarum procatarcticarum, pallorem hunc virginibus conciliantium (§. VI–VIII.), pars, variis ex rationibus in coniugio, tam ob vitam domeſticam plerumque magis negotioſam & a virginali otio remotiorem, quam ob plures morales conditiones, ceſſet, eoque ergo nomine huiusmodi virginibus matrimonium de meliori ſit commendandum. Ad extremum, quoniam huius generis puellis plerumque, ob ingluuiem fluidorum cacochymicam, lymphatici ſeroſique ſucci acres inſunt atque irritantes (§. II. IX. & X.), ipſe etiam mucus glanduloſus, vaginam vterinam proximasque partes inungens, eandem induit naturam, ſuaque acrimonia libidini prurituique venereo excitando

tando fauet (§. XVI.). Qui tacitus amor, ne lento igne eiusmodi puellas conſumat, maturato matrimonio optime eſt reſtringendus. Namque hic etiam de virginibus valet, quod alias de maſculis quidam cecinit Poëta, ſcribens:

*Vreris? vxorem ducas; non expedit vri.*
*Coniugis in gremio mortificanda caro eſt.*

# TANTVM.